

*Clément VI prie le roi de Castille de ne pas écouter ceux de ses conseillers qui sont contraires au mariage de l'enfant avec Blanche de Navarre.*

Avignon, 27 février 1346.

Carissimo in Christo filio Alfonso regi Castelle illustri.

Sicut alias celsitudini regali scripsisse meminimus, quanto profundius bona immunera ex matrimonio inter dilectum filium Infantem inclitum Petrum primogenitum tuum ex parte una et dilectam in Christo filiam puellam nobilem Blancham de Navarra ex altera, sicut prolocutum et tractatum est, auctore Domino, contrahendo, et innovatione et ampliacione confederationum olim inter te, fili carissime ac carissimum in Christo filium nostrum Philippum regem Francie illustrem invicem initarum, tuis ac ejusdem regis, regnis et subitis proventura, intra precordia nostra revolvimus, tanto nos qui tuam et ipsius regis domos inclitas paterne dilectionis affectu prosequimur, amplius in Domino exultamus. Et quia, fili dilectissime, tenemus indubie quod ad predicta preces et exhortationes nostre excellentiam regiam non modicum induxerunt, exinde gratiarum actiones referre serenitati tue regie non cessamus, eam attentius deprecantes quatinus illa que super facto dicti matrimonii restant agenda, velit prompte ac benivole attendere et complere, quibusvis detractoribus qui honorem non creduntur querere in hac parte regium, sed propria lucra venari potius, aures regias obturando. Audivimus quidem etiam a tuis nunciis, fili carissime, puellam predictam honestis moribus elegancia et circumspectione provida et carissimam in Christo filiam nostram Johannam reginam Navarre illustrem, ejusdem puelle genitricem, maturitate circumspectionis et prudentie fama celebri commendari.

Datum Avinione, iii kalendas martii, anno quarto.

Reg. Vat., 139, n° DCCCCL.